



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

IX. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

frater. Inscriptio capitis 78. *Quattuor modis*. ejuldem
 questionis est: *Vnde Gregorius ait*. In margine est:
 Isidorus l. 3. de sum. bono c. 58. *Burc. l. 16. c. 28.*]
 Ad illa, *animum alicujus corrumpimus*, additur:
Al. muneris alicujus corrumpitur. *Isid.* & pro voce
adversarium, *al. adversa*. In notis est: *Apud Gre-*
gorium non est inventum, sed apud Isidorum, quem
admodum citat Burchardus, & paulo etiam plenius.
& sequitur nonnullis interjectis post caput Qui rectè.
suprà eadem.

(11) Gratiani verba sunt ante caput primum causa
 20. q. 1. in eodem libro: *probatum auctoritate nona*
synodi. Firma autem &c. In Notis est: *Nonæ] In*
nonnullis vetustis exemplaribus est, octavæ. Verum in
octava ab Hadriano II. habita non habetur, sed in
libro B. Basilij de institutis monachor. Ruffino inter-
prete c. 8. Similia etiam sunt apud eundem B. Basi-
lium in regulis fusiùs disputatis c. 25. Ac perfecta]
Hac non sunt in eo B. Basilij loco.

DE EADEM RE.

Dialogus nonus.

C. CUM pontificalem librum non edi-
 tum ad te nuper adlatum in manibus ha-
 berem, incidi in extrema tempora Innocen-
 tij tertij. Illic inveni mentionem Gratiani
 fieri his verbis, quæ tibi meliùs in libro ipso
 indicavero, quia sunt quædam mihi valde
 ignota. A. Ostende locum. Neque enim in-
 gratum erit de Gratiani vita aut tempore cog-
 noscere. C. *Hoc anno (scilicet MCCXV.)*
Gratianus monachus de Clusa civitate Tusciæ
natus Decretum composuit, ut dicit Hugucon-
feria q. VI. c. for. Floret etiam Magister Pe-

310 LIBRI POSTERIORIS
trus Lombardus, qui sententias composuit. B.
Si hæc vera sunt, cur in eo libro nihil est post
Innocentium minorem conscriptum? Cer-
tiora sunt quæ alij de Eugenio tertio referunt,
& ab eodem Gratiano scribunt mentionem
fieri anni MCL. A. Quærat^{ur} locus in for-
mulis appellationum & apostolorum. B. In
libro Antonij Democharis sic est: *Pridie Ka-*
lendas May, anno dominice incarnation,
MCLXI. Indictione IV. & in margine: alias
MCV. feria IV. His addit Contius: *Sic in*
meo manuscripto. C. In alia veteri editione est
etiam MCV. *fran. IV. ineptè pro feria quar-*
ta. & in scholiis: MCV. Dicit H. quòd hic
est falsa littera, quia non sunt tot anni quòd
liber iste compositus fuit. Fuit enim editus do-
cente Iaco. Bonon. in legib. & Alex. in theo-
logia, qui fuit postea Papa Alex. III. &
fuit anno domini MCL. ut ex chronicis patet.
A. Habeo alia scholia vetustiora. Cura ut
liber adferatur. C. Eadem est scriptura nume-
ri MCV. feria IV. & in margine hæc sunt:
Non currebat annus iste incarnationis tempo-
re Gratiani, cum & ipse inseruit huic operi
capitula Innocentij secundi, qui paulò præces-
sit Alexandrum contemporaneum Gratiano.
A. Ex his apparet deceptum fuisse illum histo-
ricum, & pro Hugone sive Hugucione se-
cunda quæst. VI. c. *Forma* illa monstra pepe-
rissè. C. An, obsecro te, idem ille est qui
H. notatur in scholiis? A. Ego eundem esse
arbitror. (1) Sed nos ad octavam synodum
revertamur. B. Caussa XX. quæstione secun-

2. q. 6. c. 30.
Post appella-
tionem. p.
Forma.

da extrema *a* sunt quædam verba quæ ex synodo nona Gratianus refert, ex Isidoro liber Tarraconensis *b*; sed Basilij verba sunt in monachorum institutis cap. iix. in teprete Rufino. (2) Causa xxvi. quæst. vii. c multa capitata sunt octavæ synodo inscripta quæ Basilio inscribi debuerunt, primo excepto, quod incertum est. Sine inscriptione refert Pœnitentiale Romanum *d*. Videtur esse epitome capituli xxxi. Concilij Carthaginensis tertij, ut in Notis tuis inveni. Aliud caput *e* selecti viri Basilij esse existimant in epistula ad Amphilochem capite lxxiii. Sine inscriptione est in eodem Pœnitentiali. (3) Tertium caput sex dictis Basilij Episcopi inscribunt Burchardus *g* & Ivo *h*. & in margine Ivonis legi, *In regulis brevioribus respon. ad interrog. viii.* Hoc idem selectis viris probatur. Quartum caput *i*, cujus initium est *Affectum*, eisdem regulis adscribunt capite quinto. Quintum caput *k* Burchardus *l* & Ivo *m* ex dictis Augustini inscribunt, Romani Basilio in regulis breviorib. cap. ix. (4) A. Laudanda est maxime horum patrum diligentia. B. Adhuc audies alia eadem ratione rectè mutata. Causa xxvii. quæst. ii. *n* ex octava synodo caput illud inscripserat Gratianus, cujus initium *Si quis conjugatus*. Ex dictis Basilij Episcopi Burchardus *o*, Ivo, *p* & Anselmus *q*. Basilij tantum nomen est in libro Cæsaraugustano *r*. Pars epistolæ Alexandri secundi ad Landulfum est in Panormia & in excerptionibus Ivonis, *s* cujus initium *Notificasti*. & post alia

a 20. q. 2. c. ult.
b *Tarrac. l. 6. cap. 260.*
c 26. q. 7. c. 7. Proqualitate.
d *Penit. Rom. tit. 9. c. 10.*
e *d. q. 7. c. 8. Hoc fit.*
f *d. q. 7. ca. 9. Pœnitentem. g* *Burch. li. 19. c. 59.*
h *Ivo par. 15. c. 55. dec. i* *e. q. c. 10. Affectum.*
k *e. q. c. 11. Erga eam. l* *Burch. li. 19. c. 64.*
m *Ivo par. 15, c. 78. d. c.*
n 27. q. 2. c. 21. Si quis.
o *Burch. lib. 9. cap. 45.*
p *Ivo par. 8. c. 183. dec.*
q *Ansel. lib. 10. c. 20.*
r *Cæs. l. 10. c. 65.*
s *Ivo l. 6. tit. 5.*

it. B.
 st post
 Cer.
 erunt,
 onem
 n for.
 B. In
 e Ka.
 ation.
 alias
 Sic in
 ne est
 quar.
 d hic
 quod
 us do-
 theo-
 I. &
 atet.
 ra ut
 ame-
 unt:
 mpo-
 operi
 eces-
 iano.
 isto-
 se-
 epe-
 qui
 esse
 lum
 un-

c. 11. panon.
& par. 8. e.
220. decr.
c. 33. q. 5. c. 2.

De pen. d. 2.
c. 1.

De consec. d.
2. c. 25. Ti-
morem.

22. q. 15. c.
18. Deforma.
I volib. 8. tit.
8. c. 33. panon.
& par. 12.
cap. 76. decr.

à Gratiano & etiam relata hæc sunt: *Sanctus enim Basilius de hac re taliter dicit. Si quis con- jugatus & c.* Selectis viris placuit: *Basilius in regulis fusiùs disputatis cap. XII. C.* Quid est quod in margine Ivonis legitur: *Ex synodo VIII. sub Photio Constant. celebrata penultimo canone, cui aliquot interfuere Episcopi Basilij nomine?* B. Unde hæc sumpta sint ignoro, (5) Caput primum dist. II. de pœnitentia non octavæ synodi est, ut Gratianus refert, sed Basilij in regulis brevioribus capite CCXXCIX. Extremum est caput XXV. de consecrat. dist. II. quod Gratianus ita inscripsit: *Ex octava synodo Basilius Episcopus dixit.* Id etiam inveniri in regulis brevioribus Basilij testantur. A. Quoto capite? B. Id etiam ignoro, quia is liber nondum à me lectus est. sed in quadam scheda est cap. 172. (6) A. Non omnia possumus omnes. Hactenus de octava synodo. Habésne aliquid ex Capitularibus Imperatorum præter ea quæ ante discessum tuum tibi ostenderam missa mihi à Latino Latinio & à Petro Ciacconio? B. Volumen attuli Capitularium quorundam Imperatorum post septem illos libros, quos nosti, editorum. Sed exceptis duobus ad Gratiani emendationem non pertinent. A. Duo illa, quæ sunt? B. Ex Concilio Trecenti sub Joanne octavo, item ex Fulberto Episcopo Carnotensi de forma fidelitatis, quem Philibertum Episcopum Gratianus appellat. sed Fulbertus dicitur in Panormia veteri Ivonis, Silibertus in edita, Fulbertus rectè dici-

tur in
saraug
libro C
Fulber
Episco
Recita
domin
Aqua
tensis
ma fra
Sunt
post G
tenher
ait fui
no plu
appare
& Gra
Ober
sub F
MCX
est hæ
fefelle
in Sic
epistul
tabam
Conci
Aimo
ferri. I
non m
confer
bis C
tem o
pitum

tur in Ivonis excerptionibus & in libro Cæ-
 faraugustano. Illud quoque didicimus ex hoc
 libro Capitularium, ad quem hæc epistula
 Fulberti missa sit, & nomen Ecclesiæ cujus
 Episcopus erat, quæ ceteri omiserant A.
 Recita verba. B. *De forma fidelitatis inter
 dominum & fidelem suum. Glorioso Duci
 Aquitanorum Vvillielmo Fulbertus Carno-
 tensis Episcopus orationis suffragium. De for-
 ma fidelitatis aliquid scribere monitus & c. C.*
 Sûntne hæc sumpta ex libro feudorum, an
 post Gratianum illic scripta? B. Joannes Trit-
 tenhemius hunc Fulbertum sive Fulpertum
 ait fuisse sub Henrico primo Imperatore an-
 no plus minùs Christi millesimo decimo. Sic
 apparet antiquiorem fuisse Ivone Carnotensi
 & Gratiano, post quos fuerunt Gerardus &
 Obertus, qui librum feudorum scripserunt
 sub Friderico primo, qui anno Christi
 MCXC. mortuus esse dicitur. A. Gratum
 est hæc reperta esse, quæ me diù quærentem
 fefellerunt. Et memini à me doctum virum
 in Sicilia petiisse ut si quid de hac Philiberti
 epistula comperissem, sic enim appellari pu-
 tabamus, eum certiozem facerem. (7) De
 Concilio Trecensi videamus, de quo in libro
 Aimoini de gestis Francorum scio aliquid re-
 ferri. B. Ita est ut dicis. Sed apud Gratianum
 non multa verba sunt, si cum Ivone & aliis
 conferamus; in veteri autem libro aliis ver-
 bis Concilii sententia conscripta est. Est au-
 tem operæ pretium conferre singulorum ca-
 pitulum inscriptiones. *Vnde Ioannes Papa VIII.*

*C. es. lib. 6.
 c. 22.*

*Lib. 5. c. 37.
 17. q. 4. c. 21.
 Quisquis.*

scribit omnibus Episcopis. Sic Gratianus. At Ivo u : Ioannes VIII. in libro Gothica legis. Sine inscriptione liber Cæsaraugstanus x initio libri septimi, Ioannes Papa VIII. est apud Anselmum y. In veteri libro hæc inscriptio legitur : *Lex sacrilegum edita à Ioanne Papa coram serenissimo Luduvico Imperatore & Episcopis LIII. in Concilio Trecacensi, & eorum auctoritate iuncta Gothica legi: Per defectum sacrilegij. Addam, si placet, initium ex eodem libro, ut certius testimonium habeamus: Ioannes Episcopus servus servorum Dei omnibus Episcopis per Narbonensem atque Hispanicas provincias consistentibus Abbatibus, Presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Iudicibus, & omnibus in potestatibus constitutis, & omni populo, & cuncta simul generali Ecclesia, salutem carissimam cum benedictione apostolica. Auctore omnipotenti Deo mediane incarnationis Domini nostri Iesu Christi (an.) DCCCLXXXVIII. xv. Kal. Sept. Indict. I. Domno videlicet Ludovico sereniss. Rege an. i. actum est hoc à nobis apud urbem Trechas pro statu sanctæ Dei Ecclesia synodale Concilium &c. A. Rectene anni cum Indictione conveniunt? B. Minimè conveniunt; & suspicor in utroque numero erratum esse, atque ita mutantum, an. DCCCLXXVIII. Indict. XI. quod existimo Aimoini verbis confirmari libro v. cap. xxxviii. Apud Ivonem in exceptionibus ita est: Ioannes Episcopus S. S. D.*

u Ivo lib. 2.
rit. 8. c. 1. &
2. panor. &
par. 3. c. 98.
decr.
x Cæsa. lib. 7.
c. 1.
y Ans. lib. 5.
c. 40. & 46.

omnibus Episcopis, Comitibus, Vicecomitibus, Centenariis, Iudicibus catholicis in Hispania & Gothia & provinciis degentibus omnique populo occidentali catholico salutem & apost. bened. Noveritis, dilectiss. filij, quia nos pro salute sanctæ Dei Ecclesiæ jussimus congregari synodale Concilium apud urbem Trechas; ubi sedentibus nobis in corona venit &c. Sineboldus sanctæ primæ sedis Narbonensis Episcopus cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habeatur de sacrilegiis &c. In libro Cæsaraugustano Ivonis verba sunt, his exceptis, & Gothia provincia degentibus, item Sigeboldus pro Sineboldus. & habebatur pro habeatur. Multa in utroque libro sunt ommissa, & hæc ipsa aliis verbis dicuntur quorum initium est: *Inter cetera autem oblatum est in eodem nobis Concilio primùm à Segebodo Narbonensis Ecclesiæ Metropolitanæ proclamationis libellus &c. A.* Magna varietas est. Sed de verbis à Gratiano relatis videamus. Sequiturne Gratianus Ivonis an alterius libri editionem? B. Ivonis, cujus nomine duo libri nuncupantur, quos te video Panormiam & excerptiones appellare, & dubitare utrum ejusdem sint scriptoris. Panormia usus fortasse est Gratianus, excerptiones non vidisse existimo. In hoc capite excerptionum libri ordinem secutus videtur, cum præpostere essent duo capita in Panormia collocata. Initium primi capitis est: *Sacrilegium enim committitur.* quæ verba Contius Gratiani esse credidit. Initium secundi: *Inspectis legibus*

Romanis. Ante vocem *sacrilegium* in excerptionibus est: *Hucusque Lex Papa*. quæ in fine capituli posterioris sunt in Panormia. In libro Cæsaraugustano vox *Hucusque* sola est. In veteri libro omnia aliis verbis explanantur, & illa omittuntur, *Sacrilegium enim committitur &c.* De varietate pœnarum sive multarum in raptores agitur. triplicem fuisse dicitur, ante Justinianum XII. auri librarum, à Justiniano V. auri obryzi librarum, à Karolo XXX. librarum examinati argenti constitutam. Hæc lenissima pœna, sed usu abrogata, restituitur, & DC. solidorum esse declaratur. *Presenti*, inquit, *ideo confirmamus edicto ut cujuscumque sit homo gentis vel ordinis, cujuscumque sit legis vel patriæ judex, si in pervasores aut violatores ecclesiasticarum rerum legem superiùs taxatam, id est, DC. solidorum summam judicare noluerit, aut pervasor sive violator, si pulsatus ab Episcopo vel Abbate seu Advocatis Ecclesiæ, persolvere noluerit, primum tertio secundùm Domini vocem admoniti, si non emendaverint, à ceterorum Christianorum communione sint separati &c.* Apud Ivo-nem post relatas multas Justiniani & Caroli, videlicet, inquit, *in triginta libras argenti examinati, id est, sexcentorum solidorum summam argenti purissimi; ideòque quisquis inventus fuerit reus sacrilegij, istam leniorem compositionem emendet ipsis Episcopis vel Abbatibus sive personis ad quos † querimonia sacrilegij justè pertinuerit &c.* Eadem sunt in libro Cæsaraugustano. Videtis igitur Gratianum ho-

† quas

rum verborum partem retulisse, partem omi-
 sisse. de triginta enim libris retulit, de DC.
 solidis nihil dixit, neque de excommunicatio-
 ne. In fine hujus capituli in veteri libro est:
Et subscripserunt Ioannes Episcopus servus
servorum Dei cum decem Archiepiscopis & XLI.
Episcopis. (8) A. De ceteris aliud erit dicendi
 tempus. Nunc nobis surgendum est.

ADDITIONES.

(1) **V**ERBA Gratiani sunt in Gregoriano libro
 cap. 31. Romanis, *Post appellationem.* vers.
Forma apostolor. 2. q. 6. Pridie Kal. Maij anno Domi-
ni incarnationis MEXLI. Indictione quarta. In Notis
 est: MEXLI.) In vulgatis erat MCLXI. qui numerus,
 ut recte in glossa dicitur, constare non potest. Quod etiam
 confirmatur, quia quarta indictio, de qua hic est men-
 tio, non convenit cum anno illo. In manuscriptis autem
 varia sit lectio, hac visa est melior, qua notarum
 tantum transpositione restitui potuit, & quarta Indictio
 cum hoc anno concurrat. In scholiis: MEXLI.] Dicit
 Hugo quod hic est &c. ut in dialogo. In admonitione,
 ante Gratiani verba, præter ea quæ retulimus lib. I. ad-
 dit. 1. hæc sunt: In Chronico quod inscribitur Poma-
 rium Ecclesia Rhaevnatis, qui liber in bibliotheca Va-
 ticana servatur, hæc de Gratiano leguntur. Anno
 Christi MCLI. Gratianus monachus de Classa (in
 margine est: *Alij Clusio, alij Cinsa*) civitate Thu-
 ricæ natus, Decretum composuit apud Bononiam in
 monasterio sancti Felicis. Idem testatur Hugutio vetu-
 sissimus hujus codicis interpres secunda questione sexta
 cap. Post appellationem. & Vincentius in libro histo-
 riarum bis, semel libro vigesimo tertio cap. 31. loquens
 de Isidoro, & iterum lib. 25. c. 84. agens de Ivone &
 aliis decretorum collectoribus, & sanctus Antoninus par.
 3. hist. tit. 18. c. 6. Trittemius verò in libro de scripto-
 ribus ecclesiasticis Gratianum agnoscit hujus collectionis

auctorem; itémque in libro secundo de viris illustribus ordinis sancti Benedicti, quo tamen loco addit (ipsam fortasse operis inceptionem spectans) fuisse ab eo compositum anno Domini MCXXVII. Hanc collectionem Innocentius tertius in epistola ad Archiepiscopum Compostellanum vocat *Copus Decretorum*.

(2) Capitis quarti sive extremi Oportet insantes. 20. q. 2. in eodem libro hæc inscriptio est: Vnde in nona synodo legitur. In margine est: *Al. octava*. Et in Notis: *Est in eodem libello B. Basilij; & eod. capite, in quo est c. Firma. supra ead. q. 1. & sequitur continenter post illud. Vide paullò ante dial. 8. addit. 11.*

(3) Inscriptio capitis 7. Pro qualitate. 26. q. 7. in eodem libro hæc est: Vnde in octava synodo legitur. In Notis est: *Videri potest sumptum ex regulis brevioribus B. Basilij c. 106. quod notatum alibi est evenire in his capitibus qua ex octava synodo citantur. Capitis 8. Hoc sit. ejusdem quaestionis inscriptio sola voce ITEM constat. In margine est: Smaragdus in regulis B. Benedicti c. 24. In Notis: Caput hoc habetur in libello beati Basilij de institutis monachor. Rufino interprete c. 90. Ibi enim ultima interrogatio est hæc: Qualib. correptionibus &c. Responsio. Hoc sit &c. Itaque ex interrogatione & responsione confectum est hoc caput, sicut & duo sequentia, qua apud eundem Rufinum leguntur.*

(4) Eiusdem quaestionis caput nonum Pœnitentem. in eodem libro hæc pro inscriptione habet verba: Ex eadem synodo evidenter ostenditur, cum dicitur. In margine est: *Burc. l. 19. c. 39. Ivo par. 15. c. 55. In Notis: Burchardus & Ivo citant ex dictis Basilij Episcopi, & in regulis illius brevioribus numero 8. est sententia hujus capitis. quod tamen acceptum videtur ex c. 24. ejusdem libelli de institutis monachorum, ubi secunda interrogatio sic habet: Pœnitentes &c. Responsio. Sicut Dominus &c.] Ante caput 10. Affectum illum. ejusdem quaestionis est vox ITEM pro inscriptione. Et in Notis est: *Sententia hujus capitis est in regulis brevioribus num. 5. Acceptum tamen videtur ex c. 19. ejusdem commemorati libelli, in quo hæc est interrogatio: Quomodo quis debet &c. Responsio. Affectum illum &c.] Castos] Antea legebatur. cautos. Emendatum est**

ex libello Ruffini. In vulgata est contaminatos, Grace
 2785. Ante caput 11. Erga eum. ejusdem quaestionis
 est etiam vox ITEM. Et in margine est: Burc. l. 19.
 c. 64. Ivo par. 15. c. 78. Et in Notis: Hoc etiam habe-
 tur in regulis brevioribus num. 9. In eodem verò libello
 c. 24. ultima interrogatio est hæc: Erga eum &c. Res-
 ponsio. Sicut præcepit &c. Apud Burchardum & Ivo-
 nem, qui hoc citant ex dictis Augustini, initium sic ha-
 ber: Erga eum qui pro peccato commisso non pœnitet
 tales &c. quod magis convenit cum prædicta interroga-
 tione quàm quomodo est apud Gratianum.

(5) Hæc etiam est inscriptio capitis 22. Roma-
 nis, cujus initium est Si quis conjugatus. 27. q. 2. Item
 ex octava synodo. In margine hæc sunt: Sent. ibid.
 (hoc est, Sent. 4. dist. 27.) Poly. ibid. (id est, l. 6.
 tit. 4.) Ans. l. 10. c. 20. Burc. l. 9. c. 45. Ivo p. 8. c.
 183. & 220. Pann. l. 6. c. 85. In Notis est: Si quis
 conjugatus] Hæc usque ad vers. Nam si illo habentur
 apud B. Basilium in regulis fusiùs disputatis c. 12. Bur-
 chardus quidem, Polycarpus, & Ivo par. 8. c. 183.
 citant totum hoc caput ex dictis Baslij. Idem verò Ivo
 c. 220. & auctor Pannormia citant epistolam Alexan-
 dri secundi Landulpho scriptam, in qua hoc idem ex B.
 Basilio refertur. Et pars prior illius epistola refertur in
 33. q. 5. Notificasti. Inscriptio capitis secundi No-
 tificasti. de quo supra, hæc est: Item Alexander
 Papa 11. Landulpho in Corsica. Et in margine est: Ivo
 p. 8. c. 220. Pann. l. 6. c. 85.

(6) De pœnitentia distinctionis 11. capitis 1. in-
 scriptio in eodem libro Romano est: Item ex octava
 synodo. Si quis semel &c. In Notis est: Habetur in libro
 de institutis monachorum interprete Ruffino c. 22. ex Ba-
 silio in regulis brevioribus numero 289. Inscriptio capi-
 tis 25. de consecratione, distinctione secunda hæc est:
 Item ex octava synodo. Basilius Episcopus dixit: Timo-
 rum docet nos &c. In margine hæc sunt: Ex Baslij re-
 gulis brevioribus c. 172. Et in Notis: Hoc Baslij caput
 est ex versione Ruffini c. 70. quibusdam tamen omissis.
 Ex hac autem citatione, quam nunc affert Gratianus,
 & aliis ejusdem locis, ut alibi dictum est, videtur posse
 colligi regulas illas B. Baslij post octavam synodum in

codice quo Gratianus usus est fuisse collocatas.

(7) Gratianus ante caput 18. De forma. 22. q. 3. in eodem libro ita scribit : De forma verò fidelitatis &c. Sic invenitur in epistola Fulberti Episcopi. In margine hæc sunt : In usib. feudor. l. 2. tit. 6. Ivo par. 12. c. 76. Pann. l. 8. c. 122. Et in Notis : Epistola hæc Fulberti missa est è Gallia, descripta ex vetusto codice Ecclesia Belvacensis, cujus hic est titulus : Glorioso Dni Aquitanorum VV. Fulbertus Carnotensis Episcopus orationis suffragium.

(8) Caput 21. Quisquis inventus. 17. q. 4. in eodem libro ita inscribitur : Vnde Ioannes Papa octavus scribit omnibus Episcopis. In Notis hæc sunt : In epistola manuscripta Ioannis octavi scripta Episcopis & Abbatibus per Narbonensem & Hispanicas provincias constitutis præcipitur observari lex contra sacrilegos in Concilio Trecafensi edita coram Ludovico Imperatore & quinquaginta tribus Episcopis. Diversa autem sunt istius epistola verba ab iis qua recitantur & à Gratiano & à ceteris collectoribus ; sed eadem sententia. In margine est : Ans. l. 8. c. 40. Poly. l. 6. tit. 10. Ivo par. 3. c. 98. Pann. l. 2. c. 80. & 79. Et vers. Idem. Si quis domum. supra 11. q. 3. Ad mensam. Ans. l. 5. c. 52. Et vers. Si qui monasteria. Ans. l. 5. c. 47. Burc. l. 11. c. 22. Ivo p. 3. c. 124. & p. 14. c. 96. Simile in Meldensi c. 60.

